

83. Immediate à DEO absque omni interven-  
tu humane actionis vocati fuerunt Prophetae,  
tandem etiam Apostoli: Vnde D. Paulus, se ne-  
que ab hominibus, neque per homines ad Aposto-  
latum vocatum & segregatum esse testatur.  
Gal. 1. 1.

84. Interdum tamen in hac etiam immedia-  
ta vocatione DEVS utitur operâ hominum: Sed  
ita, ut aperta designatio divinitus facta praece-  
derit: Quemadmodum Eliseum, prius voce divi-  
na Prophetam designatum, postmodum verò  
per Eliae ministerium vocatum fuisse legimus,  
Reg. 19. 16.

85. Immediata hæc vocatione non utitur DE-  
VS, nisi cum Ecclesia tota à genuina puritate  
doctrinae caelestis prorsus degeneravit: Ibi enim  
DEVS ex merâ bonitate, modo extraordina-  
rio, verum Ecclesiae ordinem restituere solet.  
Verum tale aliquid hodie expectandum esse,  
haud arbitramur.

86. Mediata vocatio est, quae divinitus qui-  
dem fit etiam, sed tamen non sine mediis à DEO  
approbatis: Qua ratione ceteri Doctores, pasto-  
res ac Ministri vocantur.

87. Cepit ortum suum isthaec vocatio, in No-  
vo Testamento ipsis statim Apostolorum tempo-  
ribus: qui caelestis doctrinae veritate partim  
Christi ministerio & predicatione: partim di-  
vinis miraculis confirmatâ, discipulos suos do-  
nis